



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1688

XXXVII. In Domin. VIII. Post Pentecost. Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quod prudenter fecisset. Luc, 16. Arg. Icon prudentiæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)

CONCLO. XXXVII.

IN DOMINICA VIII. POS FENTECOST.

Laudavit Dominus Villicum iniquitatis, quod prudenter fecisset. Luc. 16.

ARGUMENTUM.

Icon Prudentiæ.



In thesauro virtutum moralium, nullagemma invenitur pretiosior prudentia. Aud. Quod Adamus in annulo. Sol in cælo, Navarchus in navi, Helice & Cynofura in vastissimo hoc periculosissimoque pelago, id inter animi Christiani dotes illa est. Hæc aliarum virtutum actiones cohonestat, hæc ut Pharos alias illuminat, hæc ut dux, & imperatrix omnium dominatur. Nullus enim habet gratiam, ait Aquinas, nisi virtute præditus, & nullus virtuosus, nisi habeat prudentiam. Coeteræ virtutes, nisi ea quæ appetunt, prudenter agant, virtutes esse neutquam possunt. Quoquod Prudentia ingreditur; eodem honestas & decorum, mens ac ratio vegetior, gratiisque coronata comitatur.

Intuitu hujus virtutis videtur Dominus hodiernum Iniquitatis Oeconomum deprecasse, quod prudenter sibi prospexisset. *Laudavit Dominus*

Villicum &c.

Sed quodnam quæso objectum, seu fundamentum hujus prudentiæ. Num quod Patronum suum grandi affecerit injuria, dissipando bona ipsius? An quod illius Chyrographa mutaverit, & rationes, tabulasque corruperit? An quod ex alieno sibi amicos conciliaverit? At nunquam iniquitas virtuti patrocinata est; nunquam sub turpi vitiorum lacerna prudentiæ germanæ decus occultitur. Virtus & vitium æterno ab invicem discreta sunt divortio. Nihilominus manet inconcussum æternæ veritatis elogium; eidem Villico impertitum. *Laudavit Dominus Villicum iniquitatis.*

Expendamus itaque quænam hæc fuerit Prudentia, & quænam vera, germanaque censenda, Adm. D.G.

Partitio.

II. Ferdinandus Randoy monetam

*Prudentia
encomium*

*S.Tho. 2.2
2.47.4.14.*

Faber in
Aut.

tam excudi fecerat, in qua videbatur Prudentia in specie Virginis cum speculo adumbrata, adjecto Lemmate: *Cognosce, Elige, Matura.* Quibus verbis præcipuas ipsius complexus est functiones.

Primum Prudentiæ munus Prospicere, recteque judicare.

Prudentia
actus pri-
mus

III. Princeps Omnis Prudentiæ actus est recta Cognitio. Ipsi enim proprium respicere, quæ vel per se mala, & fugienda; quæ remorantia, & evincenda; quæ bona, & executioni Mandanda. Ipsa mentem in varios intendit eventus, qui accidere queunt, ne spes frustretur, laudabilique sine suo destituatur; ipsa particularia, quæ ad bene, feliciterque agendum conducunt, investigat; ipsa circumstantias omnes, quæ rem afficiunt, & cum ea conjunguntur, perlustrat. Unde à D.

S. Tho. 2. 2.
1.47.

Aug. l. 83. q.
32.

Thoma describitur; *Investigatio, qua futura ex præteritis, & presentibus, judicamus.* A. S. Augustino: *Prudentia est cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum, seu certum, & liquidum iudicium de rebus singulis, quæ agenda, quæ omittenda proponuntur.* Ab Aristotele: *Habitus vera cum ratione activus, circa ea, quæ bona, & mala homini sunt.* Hoc est circa humanas operationes & eventus contingere locos.

IV. Et quidem si ista cognitio, aut investigatio oriatur ex principiis falsis, carni, & sanguini patrocinantibus,

erat Prudentia merè politica, mundana, vel etiam Diabolica. Hanc perquam graphicè in hæc verba descripsit S. Gregorius in suis moralibus, *Hujus mundi sapientia est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare.* q. d. Hujus mundi Prudentia est per fallacias & nequitiam, per falsos rumores, profligatamque innocentiam, per laceram violatamque charitatem, in suam aliorumque perniciem abuti, vel omnes nervos vaferrimæ mentis intendere, quatenus ad finem carni, ac naturæ corruptæ consanguineum enitatur. Ita enim subdit: *Hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quarere, ad eptam temporalis gloria vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multipliciter reddere; cum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere, cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare.*

S. Greg. l. 19.
c. 16. m. c. n.
Iob.

Ibid.

V. Imaginem hujus intueri licet in Juda fratre Josephi in Ægyptum venditi. Cupiebat ille & fratribus suis, & Josepho adblandiri; illos quidem suadendo, ut sub hastam exponeretur, huic autem, propugnando ejus à coede innocentiam. Dixerat enim: *Melius est, ut venundetur Ismaelitis, & manus nostræ non polluantur.* Præstat eum venire, quam mori. Satis invisus nobis erit, si semper extra oculos fuerit. *Melius est ut venundetur.* Ita ille sibi persuasit, opitulaturum prudenter innocenti, ne in veriret; & furentibus obsecuratum fratribus, ut non nece quidem, sed
next

Prudentia
humana

Gen. 37. v.
27.

maxibus invisi adolescentis livori suo facerent satis. Verum dum hac ratione sapienter se consulere utrique avertat, insipientissimè hallucinatur. Nam quænam hæc Prudentia servare ab interitu membra, & mentem pueri exponere interitui? Num hanc te serpens prudentiam docuit, ut tergore parvulus adolescentis, caput ejus funeri objectares? Nemo nocentior Innocentiæ est, quam qui eam improbis addicit. Præstabat in puteo mori, quam scdissimorum Egyptiorum scdari dominatu. Præstabat mori Liliam, quam Rubum esse, & vivere. Præstabat dissolvi in cineres adolescentem, quam carbonibus desolatoriis immitti, si vivat. Secura est innocentia inter secures, invulnerata si feriatur, & nusquam tam integra, quam cum secatur. Mentitus es ergo Juda in caput tuum, quod melius est, ut venundetur, cum satius esset, à vobis periri, quam mancipari, pudoremque ipsius Egyptiæ exponi.

VI. Licet aliam spectari in Judæis contra Christum Dominum conspiciantibus. Videntes illi signa, & prodigia per ipsum patrata concilium inierunt, dicentes: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si meum sensum ô malevoli expiscari vultis, iudico, credendum esse in ipsum, siquidem hæc signa non possunt esse, nisi à Deo; tanquam evidentia testimonia ipsius sanctitatis, ac Divinitatis. Quid illi? Non dicebant credamus, ait S. Augustinus, sed perimamus. Plus enim perdit homines cogitabant, quomodo nocerent, ut perderent, quam quomodo sibi consulerent ne perirent. Qua de causa?*

Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum. Si omnes crediderint in JESUM, omnes à synagoga, & templo recedent, nullusque erit, qui pro nobis contra Romanos jugum inducere conantes depugnet. Temporalia perdere reformidabant, & vitam æternam nec cogitabant, ac sic utrumque amiserunt. Concludunt ergo cum Caipha summo Concilii Præside, ac Pontifice: Expedi nobis, ut unus homo moriatur pro populo & non tota gens pereat. Satius est, ut pereat unus, quam unitas, & communitas. Præstat ut JESUS solus de nullo crimine accusatus, immo innocens, ac propheta, & tantorum prodigiorum opifex occidatur pro populo, ne periclitetur apud Romanos, ne videlicet Romani propter JESUM, quasi Messiam, & Regem Judæorum, tollant nostrum locum, & gentem; itaque gens tota pereat, sed eo sublato, salva & incolumis subsistat. Expedi nobis. O stulti! ô bardi! ô stipites! quam verè in vestra prudentia insatuati estis, quam extremè desipitis. Expectate modicum, & videbitis quod non sit consilium contra Dominum; sentietis quomodo hoc Expedi nobis, in obfuit nobis commutabitur; quando propter ipsum Christum occisum Romani insurgent, tollentque gentem vestram, funditusque subvertent.

VII. Subsimilem imaginem exhibet præsens Evangelium in flagitioso Oeconomo, qui bonis Domini luxuriosè profligatis, quum se captum, deprehensumque cerneret, omnique

Ss bono

Prudentia
politica

Ioan. II. 47.

S. Aug. in Io.

R. v. 48.

Interesse op-
primit in son-
tes

ib. v. 59.

bonorum administratione privandum coniceret; ne extrema subinde inopia conflictaretur, ac in tenebris, sordibusque computresceret, adhibuit callido ingenio, & improbo dignam solertiam, qua sibi providit, rebusque suis consuluit. *Quid*; ait intra se, *faciam*? quo me vertam? Profecto ad incitas redigat, & pauperiem, commitesque illius famem, sitim, nuditatem hereditabo. *Quid faciam*? Non sum assuetus labori, opificium nunquam tractavi, securi, aut harpagine panem non emerebor. *Quid faciam*? *Mendicare erubescio*. Qui me hactenus suspexerant despicient; qui reformidabant, exhibilabunt, stipitemque pro stipe obtudent. Hæc ubi intra se exegisset, præteritæ fraudis malitiam nova perfidia cumulavit, tabulas adulteravit, debitoribus aliis dimidium, aliis trientem remisit, sicque benevolentiam aliorum sibi conciliavit.

Ejusmodi Prudentia Machiavellica, serpentina, ac plane diabolica est; qua is uritur, ad nos supplantandos, & in perniciem, calamitatemque per omnem nequitiam deducendos. Quam cum Dominus approbare in citata Evangelii lectione videatur, non fraudem, & nequitiam commendat, sed ingenium, quo quidem ille usus, ad malum quodpiam corporis impendens avertendum; & bonum quodpiam temporale, quantumvis cum dispendio animæ comparandum. Hoc pacto cum audimus quidpiam ab alio quopiam ingeniosè patratum facinus, et si damnamus factum, laudamus in-

genium, dolentes non in aliis inferioribus muniis, aut facinoribus illud locasse.

VIII. Est autem prudentia Christiana, si se conformet rationibus æternis & cogitationibus filiorum Dei excelsis. Vera enim Prudentia est, nosse Deum, illius sanctissima lege indaganda, atque exequenda intentionem, cogitationemque desigere, & juxta eandem vitam suam componere.

Hanc Prudentiam inculcavit Dominus discipulis suis, cum diceret: *Estote prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut colubæ*. Quod exponens acroama S. Epiphanius, duo inter alia specimina Prudentiæ observat in serpente. Primum est, quod acutissimi visus sit, continuoque oculos vigiles habeat, & si quispiam eorum obducatur cuticulam detrahat; si eruatur, alter succrescat. Id profecto cuivis nostrum accurrendum est, ut si fortè oculum mentis aus lutum quodpiam sæculentæ cupiditatis obduxerit, aut blandæ viscus voluptatis vitiaverit, aut nummi fulgor, & inanissimi aura lucelli perstrinxerit, illum emundemus; effosâsque mundanæ sapientiæ luminibus, alia Christianæ vitæ propria, atque divina capiamus; nec in vitium, hujusque sæculi pompam; sed in decus, & Numinis gloriam intentæ. Quemadmodum enim vitæ viridi, aut cæruleo ante oculos corporis opposito omnia viridia, ac cærulea apparent inruentibus; ita obfulean-

Prudentia
Christiana
qua sit

Matth. 10, 9
16.

S. Epiph.

Serpentis
Prudentia
in quo
consistat.

te mentis aciem visco, ac luto terrene
facis, quæque lucida tenebrosa qua-
vis tenebrosa lucida obijciuntur, ne
inter bonum & malum; inter rectum &
obliquum discernere queat.

Alterum est, quod totum objectet
corpus, pro tuendo capite, in quo vi-
tam suam, salutemque novit esse po-
sitam. *Aqua ratione* (si prudentes in-
veniri volumus) nobis faciendum, ut
nimirum possessiones omnes, corpus-
que ipsum malimus exponere pericu-
lis, quam Caput nostrum Christum
perdere. *Omnis enim viri*, (& om-
nium nostrum) *Caput est Christus*; ait
Apostolus. Caput cum quo tanquam
membra coherere, cum eo conjungi,
de ejus influentiis participare debe-
mus, nec ullius hominis, aut rei cu-
jusvis gratia ab eo divelli. Sic ut ne-
que inopiæ timor, nec ambitionis ho-
nos, nec formæ decor, nec munda-
næ pompæ choragium, nec illecebra
voluptatis nos ullo modo ab illius se-
questret amplexu.

Et hic actus est primus Prudentiæ
Christianæ, ac Germanæ. *Æsti-*
mat enim res qualvis non ad stateram
popularis auræ, sed ad pondus san-
ctuarii, ad trutinam divinorum elo-
quiorum libratas. Proinde quisquis
Prudentiæ vere encomio intendit
florere, res suas agendas ad ratio-
nes æternas dirigat, Deum sibi in om-
nibus ob oculos statuatur, & de crucia-
tibus sempiternis evitandis, de vita
beata obtinenda, de felici exitu for-
tuito consilia sua obfirmet, solidet
que.

§. II.

Synesis, seu Electio.

IX. Alter prudentiæ germanæ ac-
tus est Electio. *Elige*. Non enim
fatis est scire bonum, aut finem, in
quem tendere debeas, nisi ad eum
obtinendum media adhibeas apposi-
ta, nec sufficit mala nosse, quæ avo-
cant, nisi cognita rescindantur. Ne-
mo sane prudentem belli ducem indi-
gitaverit, qui nullo stratagemate, nul-
la dexteritate unquam usus ad bella
conficienda, aut componenda. Ne-
mo Oeconomum industrium, ac sa-
pientem, qui quidem de re familiari
multa disceptat, interim occasiones
omnes augendæ fortunæ negligit,
Nemo hominem quem vis circumspe-
ctum proclamaverit, qui nullum
unquam periculum evitavit, aut sapi-
enter evitandum esse persuasit. Ita-
que ut perfectionem quispiam pru-
dentiæ obtineat, necesse est, ut con-
siliis suis electionem addat, & de me-
diis ad finem præpositum conducenti-
bus deliberet.

*Prudentia
actus Ele-
ctio.*

X. Salomon describens Sapien-
tiam divinam, eidem unum æquè, ac
alterum actum attribuit. *Attingit*,
ait, *à fine usque ad finem fortiter*, &
disponit omnia suaviter. *Attingit à*
fine ad finem, nihil quod inchoat
relinquit imperfectum, omnia co-
ronat, infima per media, media per
summa ad finem perducens. *Attin-*
git à fine ad finem fortiter super-
bos dejiciendo, & attingit suaviter
humiles, & oppressos erigendo. *Attin-*

*Prudentia
actus at-
tingit omnia
Sap. 8. v. 1.*

git perspicendo fines præfixos, & disponit, media ad eundem subordinando. Quemadmodum enim divinus oculus sapientia, ac providentia sua cuncta pervadit, ita ejusdem bonitas omnibus, & singulis prout natura eorum capit, aut exigit, pro modulo cuiusque gratias suas in eum finem, in quem condidit, dispensat; perque viciniore, ac faciliore media res qualvis perficit, ac beatificat. Et quidem ad finem naturalem obtinendum elargitur formas, ac virtutes quasdam naturales; quæ sunt præcipua actuum quatenus secundum ipsas inclinatur ad ejusmodi motus; ad supernaturalem autem dispensat formas, seu qualitates supernales, secundum quas suaviter, prompteque moveantur ad bonum sempiternam consequendum. *Attingit à sine in finem.*

*Iacobi Patriarchæ
Prudentia
Sap. 10. v. 10*

XI. De S. Patriarcha Iacobo sequentia tradit Sapiens: *Ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum; & complevit labores illius.* In quo encomio tria extollit, in quibus planè medulla Prudentiæ consistit.

Primum est, quod alte animo impresserit ultimum finem, in quem conditus. Et hic illi in visione prodigiosæ illius scilicet declaratus, cujus apicem innitebatur Numen, evocans illum à terris, atque ad se attollens omnia, tanquam ad centrum boni, in quo quiescere, felicitateque sua potiri deberent.

*Scientia
Sanctorum
quæ sit*

Alterum, quod dederit illi scientiam, non Sophisticam, non Mathematicam,

non Machiavellisticam, sed Sanctorum; quam mellitissimus Bernardus sic describit: *Scientia Sanctorum est, hic temporaliter cruciari, & delectari in æternum.* Scientia Sanctorum est, hic seminare, ibi metere; hic laborare ibi mercedem præstolari; hic certare, ibi coronari. Si animus est addiscere, ac perspicere hanc sapientiam, ite ad Beatos Apostolos, & videbitis ut illi ad unius vocantis Numinis vocem, omnia quæ possederant relinquentes, per infamiam, & bonam famam; per probra, & irrisiones, per flagella, & cruces idem secuti sint. Ite ad SS. Martyres, & deprehendetis, quod illi pro anima sua decertaverint usque ad mortem, millenisque cruciatibus pro ejus salute corpus exposuerit. Ite ad SS. Confessores & considerate, quam generosè mundi pompam calcaverint, quamque exacti in custodiendis Domini mandatis fuerint. Ite ad SS. Virgines, & exigit, ut illæ voluptatibus carnis renuntiantes, corpus suum mortificationis lupato in servitutem redegerint, sese ex asse dilecto consecraverint, illumque accensis lampadibus præstolatae fuerint. Hæc scientia Sanctorum est, *hic temporaliter cruciari, & delectari in æternum &c.* Prudentia enim proposito fine bono, & honesto, indagat vias omnes eo perveniendi, quo tendere proposuit.

*S. Bern. serm
in Verba sq.*

XII. Quod exactissimè à S. Patriarcha præstitum. Etenim visione *Gen. 28.* illa divina recreatus, & ad vitæ perfectionem informatus, Deum

ut ul.

ut ultimum finem, & bonorum omnium fontem incredibili animi demissione veneratus est. Illi, ut supremo rerum omnium Domino, se, suaque devovit, lapide in perenne testimonium, in titulum erecto, unctoque oleo. Locum, in quo tunc consistebat eidem consecratum voluit; decimas rerum omnium promisit; sibi que legem, quantum ratio permetteret perfectissimæ sanctimonix statuit. O prudentiam! ô scientiam sanctorum, quam merito suspicere, admirari, & imitari par esset!

Si enim prudenter agere velimus, non sufficit oculum in finem, in quem ordinati intendere; aut discernere, quæ nobis commoda, vel noxia, nisi unâ ad media efficacia, & apposita animum adiiciamus. E. g. Si quispiam inardescat animum evacuare ab omni sulphure servilis iracundiæ, non satis est penetrare, eam esse perniciosam æque animæ, ac corpori, nisi insuper mediis ad id expurgandum utatur. Si enim uxor igneos identidem globos in virum jaciatur, itque in pectore ignem concipiat, cogitet necesse est, an declinando eos evitet, an pelle lenitatis, ac mansuetudinis cooperiendo sopiat, vel expendendo patientiam Crucifixi, vel ipsam bilis scditatem extinguere sufficiat. Si ambitione, arrogantiaque loboret, quærat occasiones sese humiliandi, utatur viliori amictu, utatur speculo cognitionis propriæ miseriæ, ac fragilitatis, similibusque viis, ac mediis. Ita si ab aliis infestetur vitiiis, vel crebrâ eligat orationem, ac confessionem, vel fugiat occasiones, vel exer-

ceat se in præsentia Dei, vel in novissimorum frequentiore meditatione. Equa ratione, si ad virtutis cuiuspiam perfectionem enitatur, instrumenta percommoda ad eam obtinendam acquirat.

XIII. Et quidem hac in parte exactissima est Prudentia hujus sæculi; sedulissima sese animi inquietudine ad media opportuna seligenda demittit: Si præfixum habeat promovere effectum gloriæ suæ, si expugnare regionem, aut urbem quampiam definiverit, quo genere armorum non utitur, quibus illam subruere cuniculis nititur, quibus circumcirca æneis quatit machinis, quibus desuper ignivomis infestat globis? si alter quispiam ad augendam rem familiarem exacuit intentionem, quos ille labores, vias industrias, suscipit, in quæ pericula se conjicit, quot miseriæ, inediaeque lubentianimo exhaurit? Si tertius in pulvere scholastico lauream obtinere gestit, quot vigilias non sustinet, quot flagris expolitur, ac dedolatur, quot vexationibus ingenium ipsius acuitur.

Sed eheu in solis filiis lucis hæc prudentiæ lampas identidem deficit. Norunt illi perbelle finem, in quem plasmati, norunt se non habere hic manentem civitatem, & tamen torpent, nec de via inquirenda, nec de viatico accurando solliciti, Norunt evidenter animæ majorem habendam rationem; & tamen minus illi, quam huic prospiciunt. Norunt regnum cælorum vim pati, & violentos illud rapere; & torpent, nullamque sibi vim inferre volunt. Eapropter meritò con-

*Prudentia
mundi effi-
cax*

*Incuria
mortalium*

queritur Dominus dicens: *Filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua.* Illi labore indefesso pro lucello aliquo evincendo contendunt, hi pro pudor, si pro donis gratia augendis, deque salute sua firmanda jubeantur esse solliciti, lecto affigi caput, somno oppressum, furrigere vix sufficiunt. Illi nunquam non prompti ad occasiones qualvis lucris, hi si evocentur ad sempiterna bona obtinenda, velut incisis nervis incude graviores, resupinantur. illis si agatur de lite aliqua evincenda, benesibi consulunt, Patronos cautae conquirunt, eidem invigilant, hi si vel quartam partem horae divinis commentandis seponere jubeantur, onus non ferendum existimant. *Filii hujus seculi prudentiores sunt.*

§. III.

Gnome, seu Matura.

XIV. Tercius Prudentiae actus est *matura Executio. Matura.* Ad eam enim pertinet captare occasiones, nec finire tempus oportunum ad res conficiendas elabi; quod cum semel è manibus evolaverit, incassum subinde requiritur, nec ullis Archimedis revocare potest machinis. Proinde periculosè, & stultè differtur, quod semel rectè eligitur.

XV. Divina Sapientia, quam totum genus humanum, certè universum fidelium gregem, in duas veluti classes distinxisset, sub parabola decem Virginum eas comprehendit, quarum aliae erant prudentes, aliae fatuae. Illae

electae ad convivium sponsi, & in thalamum introductae; istae cum confusione, damnoque irreparabili exclusae. *Nescio vos.* Quae conferamus nos ad sorores istas nostras, quarum ex iis; *Dilectissima, filiae,* quid vobiscum agitur? cur aliae intromissae, vos repudiate? Cur illae depraedicate ob prudentiam, non item vos? Num quidpiam inurbanitatis in vobis observatum est? At video vos officiosissimas, ac urbanissimas. An quod oleum in lampadibus defecerit? At & istud audio vos comparasse, & adimpletis jam vasculis rediisse. Quid itaque vobis objicitur in argumentum fatuitatis vestrae? Tacetis vos. Respondebo pro vobis, quod necquicquam aliud inveniam, quam quod moras nexueritis. Ex lectulis vestris serò vos proripuisti, subinde ad speculum haesistis diutius, & sic sacrum neglexistis; cum sodalibus vestris protraxistis colloquia, & Verbum Dei audire detrectastis; vesperi vel in plateis diutius moratae estis, vel inter amores vestros distenta fuistis; & sic festa luce, vel ad sacrum epulum accedere nequivistis, juventutem vestram in jocis, lusibus, saltibus, vanitatibus traduxistis, veram, sinceramque ad DEum conversionem ad annos decrepitos distulistis; interea venit Sponsus, & quoniam imparatos deprehendit, pertransiit, exclusit, nominaque vestra ex albo suorum expunxit: *Nescio vos.* Hoc erat insolubile stultitiae vestrae argumentum, quod nullo unquam aeo pollebitis enodare.

Eapropter vulgari monemur proverbio: *Delibera diu, fac cito.*

vo langsamer rath/ und schneller that,
alldorren alles von staten gah.

valebimus. *Quia nec opus, nec ratio. &c.*

XVII. De Fabio Cunctatore istud olim celebratum elogium: *Q. Fabius cunctando restituit rem.* Illa mora, & longanimitate tua fractas Romanorum vires redintegravit, ut abundamque exeret imperium. Verum de Cunctatoribus nostris, & in servitio Dei oscitantibus, rectius multò jaetatur; *Cunctando restituit rem.* Ille juvenis, quia à teneris malitiam suis imbibit ossibus, nec in tempore extirpare studuit, *cunctando destituit rem.* Ille adultus, quod vocatus à Deo in tēpore resipiscere noluit; *cunctando destituit rem.* Illa Virgo, illa matrona, quia distulit cōfessionem, quoad mors loquelam interciperet, *cunctando destituit rem;* perdiditque sempiternam felicitatem. *Itaque quodcumque potest facere manus tua, instanter operare.*

Liv.

XVIII. Semper, tibi inauspicata sit vox Corvina *Cras, cras,* qua multis ad calamitatem, extremumque illud exitium. Emissus hic ex arca, cum non re diret ad illam, passus cadaveribus; creditur à multis, & ipse aquarum diluvio obrutus. Quam verendum, ne eadem fors illos maneat, qui coracina sacra celebrant; illudque vulgare; *Seria in crastinum,* occinunt. Dum enim morantur, & hærent, nec operi manum admovent, occasus elabitur villicatio aufertur, iniquitas pleatur.

Corvina
vox fugiens
da

XIX. De aviculis apologus Poetarum est, quod hirundo advertens e consilio semine cannabino campū, seridū admonuerit illas, quatenus occisus eruerent, ac depascerentur, ne in herbam

Fabula de
avisibus

Procrastinatio
noxia
Eccle. 9. v. 10

Olympiod.
h. l.

Cajet. h. l.

Eccle. 9.
v. 11.

XVI. Hoc itidem Sapientis monitum est; dignum ipsius prudentia, & magnificentissimo Dei munere infusum: *Quodcumque potest manus tua instanter operare.* Olympiodorus ait, intendere Sapientem, quatenus omnem conatum; studiumque circa practicas exerceamus virtutes. Cajetanus ex Hebræo legit: *Omne quod inveniet, manus tua ad faciendum in viribus tuis, fac.* id est in virtute tua, in fortitudine tua, pro viribus tuis. Vult enim manum quadantenus esse vigilem, & in omnem evariantem partem; si quidpiam occurrat, quod pro animæ suæ salute, proque dei honore possit efficere; illudque faciendum instanter; non molli brachio, non remissè, non languidè; verum celeriter, strenue, animosè, eaq; contentione; quam ratio, & prudentis hominis munus, Deusque postulat. Cujus rationem subdit: *Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos; quò tu properas.* Volat ætas, morsque tanquam in insidiis excubat, quatenus nobis vitam eripiat, rumuloque condat. In cujus cineribus, nec tanquam in pulvere scholastico scientiam indipisci; nec tanquam in pulvere Martio fortitudinem ostentare; nec tanquam in pulvere vulgari, aut Mathematico figuras efformare poterimus. *Quia nec opus nec ratio. &c.* Nec opus, quodpiam mechanicum exanthlare, nec rationem in obsequium fidei submittere, nec in Sapientia serum divinarū, altissimarumq; versari nec scientiam Sanctorum acquirere

herbam, ipsarum nationi noxiam, succresceret. Quod cum nequivisset illis persuadere, saltem ut herbam etiamnum teneram evellerent, urgebat. Verum & hoc consilium surda aure acceptum cum esset, hirundo periculi declinandi causa ad domos, urbesque se recepit, in ipsis nidulari exorsa. Paulo post concinnatis ex cannabi jam matura retibus, pluribusque irretitis, ac pereuntibus, aut opem exposcentibus reponere: Tempus jam non est amplius. Erat in semine hoc malum, aut in gramine præcavendum; nunc cum consummatum sit quis vos eliberare poterit.

Timeant id ipsum rationales aviculæ, quæ sæpenumero advertunt in cor-

pore, seu potius in anima ab nocturno interpollatore feri semen nequitæ; jamque in herbam malitiæ, aut consensus exerescere; invigilent illi feri, eradice ocius, priusque in castes, aut funes nauticos exerescat, quibus inceduntur, inque Tartara prorrahantur. Conentur habere non tantum judicium sanum, & rectum finis, in quem conditi, sed insuper media convenientia ad eum obtinendum, adque impedimenta amovenda eligere, conentur eadem opportunè executioni mandare, quatenus & rationes suas exactè Domino Deo suo reddant; & dignum prudentiæ, ac fidelitatis suæ stipendium referant.

Amen.

CONCIO. XXXVIII.

IN DOMINICA IX. POST PENT.

Videns civitatem flevit super eam. Luc. 19.

ARGUMENTUM

Civitas deplorata.



Iuum præsens Evangelium, calamitosissimumque Jerosolymitanæ urbis statum expendo, perplexus hæreo; an magis illi condolere cum Christo, an verò nostram deplorare debeam infelicitatem. A. Nam quemadmodum

Jerosolyma cunctarum urbium fidelium, in quibus Numen colitur, typus fuit; ita in eadem admonentur singulæ, quatenus à simili calamitate, & exitio sibi caveant. Quanto enim proprius accesserint urbes nostrates ad cumulum criminum illius; tantò etiam viciniore future termino suppliciorum ejusdem. Paria enim vitiorum habitacula, paria merentur excidia;